ORATIO
INFRA MISSARVM SOLEMNIA

Habita coram Summo Pontifice

VRBANO OCTAVO,

ET SACRO PVRPVRATORVM PATRVM SENATV

Dominica 2. Aduentus concurrente feſto Sanctiſsimæ Conceptionis.

A Fr. GABRIELE FABRO ORD. MIN. CON.
Procuratore Generali. Anno Domini 1624.

Præſidet Vrbanus totius Paſtor Ouilis,
Huius enim nomen numinis Omen habet.



Melle gregem paſcit, cera pia Templa decorat;
Hoſtes aculeo percutiente fugat.

ROMÆ, Apud Gulielmum Facciottum. Anno Iubilei MDCXXV.
SVPERIORVM PERMISSV.

ORATIO.

GEMINA sidera, rutilo fulgore radiantia, hodierna luce, fauſtè, & felicitèr collucent in hemiſpherio noſtro (Beatiſs. Pater) & veluti duo illi aureo ſplẽdore coruſcantes nobis effulgent Angeli, qui quondam in propitiatorio obparem, & mutuam pulchritudinem, quaſi vno ſpirante affectu adſtantium oculos excitabant, ſuſpendebant; illa autem duo dixerim ſtupenda naturæ noſtræ prodigia, Mariam, & Ioannem, quæ hodie ſenſim, & ſine ſenſu mentem noſtram nouo ſtupentem ſplendore, prorſus iiſdem catenulis alliciũt, trahunt, rapiunt; ò geminam, & germanam pulchritudinem non plùs ſpectandam, quàm expetendam, non minùs adamandam, quàm admirandam, ſed tàm amore, quàm ſtupore dignam. Fertur in

muſicis, quod ſi duæ citharæ arte Dedalea, manuque Pæonia copulatæ coaleſcant in vnum, intacta, reſonanti (quod mirum eſt) correſpondebit: Mariam, & Ioannem, quaſi duas lyras auro, & ebore diſtinctas,ſic diuina gratia copulauit,vt quibus prę-conijs Euangeliſta Diuum Ioannem condecorat,ijs totidem, & perfectius Immaculatam virginem in hoc Conceptionis die rutilantem intueamur. Quid exiſtis ait in deſertum videre? arũdinem vento agitatam? ſed quid exiſtis in deſertum videre? hominem mollibus veſtitum? hic eſt de quo ſcriptum eſt, ecce ego mitto Angelum meum. Amabò tantiſper aures arrigamus, & erigamus oculos hodiernam concomitãtiam fixis obtutibus intuituri; nam nec leuis arundo Ioannes, qui diuina gratia velut propugnaculo fulcitus nulli peccatorum oneri ſuccubuit; hinc canit Eccleſia, ne leui ſaltem maculare vitam famine poſſes: ſed nec leuis arundo Deipara cui tanta rectitudo innata,& inſita eſt, vt licet omnes homines per peccatum originale obliqui,& contracti ſint, ipſa tamen Deo præſeruante ſemper recta, & immaculata refulſerit, de qua Anſelmus: hæc eſt virga in qua nec nodus originalis, nec cortex actualis culpæ fuit. Quatitur arundo ad minimum venti ſpirantis anhelitum, at Ioannes inuictus athleta firmus in via Domini in ſpiritu,& virtute Eliæ ſtetit inconcuſſus; Virgo quoque innixa ſupra dilectum delitijs gratiarum affluens ſecura

fuit

fuit à lapſu,nec enim ſerpentis perſuaſione decepta eſt, nec eius venenoſis afflatibus infecta. Scriptura refert præcipiti cuiuſdam venti turbine domum Iob labefactatam, æquatos ſolo parietes, & omnes eius natos inopinatam mortem incurriſſe, vnico excepto, qui tam funeſti ſpectaculi dolentem patrem certiorem reddidit; rabidus ille peccati ventus, quem hianti venenatus ſerpens exſufflauit ore lugendam humano generi perniciem intulit, vnde nemo mundus à ſorde,ſed neque infans vnius diei, omnes in Adam peccauerunt: at ſola virgo, aurea, & regia virga tot flatibus in carne parentum obluctata illeſa ſemper, intacta, inuiolata permanſit; adiuuit eam Deus mane diluculo, cuſtodiuit animam, & introitum eius vſque in ſeculum. Felix Maria,quæ vt caput ſerpentis cötereret,iuxta Moyſis oraculum,& peccatum vndequaque ſubiugaret, ante obtinuit arma, quàm membra, ante petijt aciem quàm lucem, ante cœpit triumphare quàm viuere; ante ſenſit initia gratiæ quàm naturæ, ante Deum capere potuit quàm ipſa caperetur à corpore: Virgo reuera felix quæ præter naturam tantum naturæ ſuſcepit incrementum, vt ſine corruptionis veſtigio,ediderit ſui generis ſobolem,& ſuę ſtirpis auctorem; germen benedictum,nouum florem, candidum, & rubicundum, electum ex millibus cuius odor inextimabilis cenſetur. Maria feliciſſima, quæ facta eſt maior terra, celſior cælo,

orbe latior; ſola in ſe capiens, quem mundus capere non poteſt, portans eum qui portat orbem; gignens genitorem ſuum, nutriens omnium viuentium nutritorē; eum inquam qui dat cęcis viſum, auditumq; ſurdis, claudis curſum, loquelam mutis, vitam mortuis. Ergò quid videmus in deſerto? arundinem tremulam vento nutantem? quinimò: mulierem fortem, & fortis animi virum, illam abſque peccato conceptam, iſtum in ventre matris ſanctificatum: Non hominem mollibus veſtitum conſpicimus, ſed Ioannem indutum fortitudine, præcinctum virtute, decoratum biſſo, & polimito, & omnibus virtutum, & meritorum coloribus, velut arcam auream vndique refulgentem; & Mariam ſanctiſſimam amictam Sole, calceatam Luna, Stellis duodenis coronatam, circundatam varietate, nunquam mollibus indutam, ſed amictam lumine ſicut veſtimento, vt qualis vita talis eſſet ſtola; ſed ò mirum, & ingens opus, ò dextere eccelſi prodigium; nunc verè nouum facit Dominus ſuper terram: quæſo audite gentium Principes, & auribus percipite qui habitatis Vrbem; lucem miniſtrat virgini qui lucem à virgine trahit, ſole induitur, quę ſolem cingit, mutuat ab eo ſplendorem, cui confert vitam; veſtit Deus Mariam gloria ſuę maieſtatis; ſed eundem Deum veſtit ſubſtantia ſuę carnis; ò mirandum commercium; ò pietatis arcanum, quod credere magis conuenit quàm referre; Nun-

quid Syon dicet homo,homo natus eſt in ea,& ipſe fundauit eam altiſſimus: Fundata eſt Dei genitrix Deo genito operante,& eum primùm in viſceribus Matris puellula illuxit, illuxerunt in ea tot virtutes, vt verè Maria ſuper maria gratiarum firmata Angelos vincat puritate,& ſãctos ſuperet pietatę;addit Hieronymus,vt ſicut comparatione Dei nemo bonus,ita comparatione Matris nullus inueniatur perfectus, quamuis virtutibus eximijs cóprobetur, cui omnia poma noua,& vetera ſeruata ſunt, vt in omni populo, & in omni gente primatum haberet; quocirca elogium illud, Ecce ego mitto Angelum meum ſatis appoſitè cum Ioanne, ſanctiſſimę Parenti, ſed potiori iure congruet; vtrumque ſiquidem quamuis ſpecie homines, gratia tamen Angelos efformauit, vt niſi me fallat animus, videantur Duo Seraphim, qui apud Iſaiam flammiuomo ardentes igne Deo vniuntur: Duo Cherubin Templi quibus diuina patēt myſteria:ampliora dicam: Duo ſponſę vbera, quę lacteum, & melleum liquorem ſtillant ſuauiter, & peccatorum animos acerbo delibutos felle mellita códiunt dulcedine: Duę turres Dauid in quibus mille Clipei, & omnis armatura fortium pendet: Duo Cęli luminaria maius, & minus, quę lucem ſuam per omnem Orbis ambitum continuò diffundunt: Duę ſedulę Apes, quę per ſacra virtutum pomeria, tanquam per aluearia volitantes ex amena pratorum varijs exuberantium flo-

ribus viriditate precioſum, mellifluumque fauum meritorum ſibi, & nobis abundè conſtruxerunt: Duo limpidiſſimi fontes, qui animas noſtras cęleſtis gratię ſitibundas ſuauiter inundant; gemina cęli proles, chara Dei ſoboles, puriores flores roſarum, pulchriora lilia campi, duo Agni nouelli, qui ſummo manè ad ſibilum paſtoris venerunt ad fontem aquę viuę, & viciſſim repleti claritate lętificant nunc terram, & exhilarant cęlum. Verùm quid mens hominis imbecilla Deiparę, & Pręcurſoris pręconia, & merita nititur adumbrare? quid ad illa mortale pectus? quid humanę vocis aura? quid ego tantillus adijciam quibus Deus cõtulit totum? Ceſſet ergò humana lingua, donec intremus in ſanctuarium Dei, vbi arcana emedullantur, aperiuntur venę, effodiuntur opes, recluduntur quæ latent in theſauris, & exultant oſſa humiliata: tunc enim irradiante Deo immenſę lucis abiſſo, ſublime Conceptionis myſterium (quod iam ſicut aurora feliciter conſurgit) necnon ſummam Diui Ioannis integritatem, & conſtantiam clarè intuentes, & admirantes laudibus, & gaudijs perpetuò rapiemur.

Vna dies copulat, quos gratia cælitus vnit,
Vna dies celebrat, quos Deus vnus amat.

ALIA

ALIA ORATIO

Habita ſimiliter

CORAM SVMMO PONTIFICE, ET ILLVSTRISS. CARDINALIBVS

2. Dominica Aduentus.

AB EODEM Fr. GABRIELE FABRO Procuratore Generali. Anno Domini 1623.

VINCVLA Ioannis, & vinctorum liberatio, quæ hodierna die referente Matheo ſimul occurrunt, myſteria adeò ſublimia, & inſolita ſuggerunt (Beatiſs. Pater) vt ſicut ſine admiratione dici non poſſunt, ità nec ſine commiſeratione, niſi me fallit animus audiri debent: Ioannes eſt in vinculis, & tunc peccatorum vincula ſoluuntur, quæ rerum connexio? Iuſtus in carcerem conditur, & rei relaxantur, miſeri opem inueniunt, & Ioannes in miſeriam incidit, mortuos auocat Chriſtus, vt viuant, & vox Dei vincitur, vt moriatur, obcæcati ad lucem cæli transferuntur, & vir videns ad tenibricoſos carceres rapitur; quale ſpectaculum mirandum imò miſerandum, mouet enim corda, concutit viſcera, & ſtupere facit auditum: at quæſo vbi Deus; vbi

ſas, vbi lex, vbi ipſius naturæ iura? reos vrgendos, noxios plectendos leges omnes docent, & qui ad piaculum prompti, vel crimine notantur carceri mancipari debent; at Ioannes quid? cuius lingua benedicta, os aureum, oculi caſti, aures piæ, manus innoxiæ, qui ante peruenit ad cælum, quàm tangeret terram, ante accepit diuinum ſpiritum, quàm haberet humanum, ante cœpit viuere Deo, quam ſibi, vnde culpa? & tamen cruciatur in vinculis, dat pœnas qui peccare neſcit, vincitur qui ex vtero matris ſolutus eſt, iacet in carcere pœnali criminis expers, funibus circumligatur libera vox, anguſtiatur inter vinctos preco iudicis, ſedet in tenebris lucerna Dei, torquetur legatus Chriſti, ſignifer ſuperni regis, ſacerdotij ſpeculum, clauſula Prophetarum, legis, & gratiæ vinculum, vitæ magiſterium; morum cuſtos, diſciplinæ cenſor, pudicitiæ defenſor; pignus gratiæ, ſanctitatis norma, pœnitentiæ via, fidei diſciplina, vno verbo Ioannes ſanctiſſimus obſtringitur in vinculis, quando peccatores à vinculis eruuntur, & pœnis liberantur; Ite inquit Chriſtus alloquens Ioannis diſcipulos, Ite renuntiate quæ audiſtis, & vidiſtis, Cæci vident claudi ambulant, ſurdi audiunt, muti loquitur, mortui reſurgunt, pauperes euangelizantur; en quot bona contemptiſſimis homunculis diſtribuuntur, dum Ioannes omnibus longè præſtantior præmitur in vinculis, ſed quam diſſimilis coniunctio?

audite quæſo, Cæci vident, inquit Chriſtus, ſed Ioannes lumine cæli priuatur, claudi ambulant, Ioannes compedibus grauatur, ſurdi audiunt, Ioannes tuba cæli non auditur, muti loquuntur, Ioannes vox Dei ſupprimitur, mortui reſurgunt, Ioannes in vinculis moritur, pauperes euangelizantur; Ioannes pauper ſpiritu deſeritur, proteritur; quis capiet hoc? humanus hic confunditur auditus, obruitur mens, laborat intelligentia, cor anxium ſimul varijs arctatur motibus, & pietas ſtupefacta neſcit hoc arcanum percipere: *Verùm* adeamus Ioannem, adeamus, & audiamus vocem veritatis, condenſa, & obſtruſa reuelabit, carcerem ingrediamur, qui factus eſt ſcola virtutis, nec abhorreamus tenebras, quas experiemur, luce hac mundi clariores, & ipſo ſole lucidiores, beatum carcerem, quem illuſtrat lucerna Dei, beatum carcerem in quo homines infirmantur, & fideles myſterijs imbuuntur: ſed iam ſublimia perſcrutemur: Iacet in vinculis Ioannes, at quod in primis ſpectãdum eſt ius ſuum ſemper retinet, nemini videtur mancipatus, liber enim, & ſolutus ſpiritu manet, caro eius fame, & ſitis diuturnitate contabeſcit, ſed animam fide, & virtute viuentem nutrimentis ſpiritalibus Deus paſcit, viuit inter pœnas athleta Dei, ſed pœnis ſuis fortior, incluſus includentibus maior, iacens ſtantibus celſior, vinciẽtibus firmior vinctus, & quamuis ligati pedes ſint, & manus, calcatus tamen ſer-

pens,& obtritus, & victus eſt; Impia crudelitas nexibus, & vinculis,& in manicis ferreis alligat Ioannem; ſed fœlices nexus,fœlicia vincula,quibus reus Deo ſummè coniungitur,humi iacent feſſa laboribus viſcera; ſed pœna non eſt pro Domino iacere, ſqualent membra ſitu,& ſorde deformia, ſed intus abluitur, quod foris ſordidatur, Venerandi capitis capillus horreſcit, ſed tandem compoſito, & delibuto magnis fulgentibus gemmis decorabitur; humeri ſanctiſſimi, integerrimum pectus, totum denique corpus in vinculis tabeſcit,at tot mala obſeruat Deus in abſcondito tempeſtatis, vt per anguſtam portam labore tolerato ad cælum introducat militem ſuum, fidem Ioannes Chriſto nunquam fallit, imò in fine vitæ clientes ſuos reſignans his verbis ad illum mitit, tu es qui venturus es an alium expectamus? & Chriſtus non deſerit, non negligit martyrem ſuum cui promittit immortale premiũ: Videt quidem Deus peccatores, iuuat, ſanat, ſoluit in deſerto miſeros, ſed eodem tempore laudibus Ioãnem extollit, & per vincula prouehit ad triumphum, iuſtificat impios in ſolitudine Deus noſter, & pio viro coronam iuſtitiæ orditur in vinculis,lęua fauet miſeris,& dextera iuſti animã amplexatur, alienos recipit, & ſuum non relinquit, quærit oues errantes, at non vult amittere gregis ſui arietem, ſoluit vincula peccatorum, & licèt tunc iuſtum ad vincula trahi permittat, vincula tamen in torques,

labo-

labores in requiem, dolores in refrigerium, mœrores in gaudium, mors in vitam Deo iubente mox commutantur, Vincula illa monilia ſunt, quia Ioannis pedes, & manus non ad infamiam copulant, ſed clarificant ad gloriam; Videtur mori in vinculis Ioannes, at non moritur, imò tunc vitæ principium capit, quia verè iuſtus inchoat viuere cum pro Chriſto meretur occidi; clauduntur quidem oculi, ſed patebit cælum, minatur carnifex, & Chriſtus tuetur, mors infertur, & vita non aufertur, mundus illi eripitur, ſed paradiſus promittitur, vita mortalis extinguitur, & immortalitas ſequitur, non perit perſona Ioannis, ſed infirmitas abijt, non moritur Propheta Domini, ſed mors magis tali morte ſuccubuit, illuſa eſt pęna carnifex habetur irriſus, & impij regis ſententia interremptum non perdidit, ſed promouit ad curſum gloriæ ſempiternum. Quis dabit mihi dignè venerari vinctum illum patrem in carcere iacentem, quo tamen maior non fuit in terris, en quis dabit, vt manus illas tangam, quæ puræ, & innocentes Agnum immaculatum indicarunt, & dominicam fidem ſeruantes ſacrilega obſequia reſpuerunt? me felicem, me beatum ſi ſaltem pedes ſancti Prophetę, qui pro Domino alligantur complecti, fouere, & oſculari poſſem, ò pedes feliciter vincti, qui itinere ſalutari ad paradiſum diriguntur. O pedes vinculis ligati, qui ſemper fuerunt à Domino liberi, ò pedes inte-

rim cunctabundi,ſed cęleri paſſu,& impolluto calle ad cęlum curſuri. Vbi modo Herodes adulter, inceſtuoſus, mulieroſus, facibus libidinis ardens, qui peccare, & perire maluit, quam audire vocem ſalutarem Ioannis, Vbi ille rex immanis ferrens,& ferus homo, qui liquorem ſanguinis innocentis ſitiens Ioannem necandum iuſſit; Vbi illa Herodiadis prognata, bellua non puella, fera non femina, grandior facta crudelitate, non ętate, quę contempta corporis pręda,caput truncandum expoſcit; aſpiciant nunc ambo,& ſuſpiciant Ioannem de carcere ad aulam,de tenebris ad lucem, de miſerijs ad gaudia, de vinculis ad libertatem immortalitatis translatum: quantum mutatus ab illo; ſed quàm bonus Iſrael Deus his, qui recto ſunt corde: Verum ſi ad nos tandem vertatur oratio, quanta dignitas purpurei Patres, dominici gregis portio Illuſtriſſima, & dilectiſſima, quanta felicitas exire hinc lętum, exire inter preſſuras, & anguſtias glorioſum, claudere in momento oculos, quibus homines videntur,& mundus, & eoſdem ſtatim aperire, vt videatur Chriſtus, & diuitię domus eius; quàm lętus labor per quem ſecuritas inuenitur, quàm leuis afflictio, cui tàm citò ſuccurrit Deus, ſi dolor eſt iam ceſſat, ſi flamma mox conſedit, ſi iniuria agitur fidelis prior actus eſt Chriſtus,ſi premitur contumelijs Deo conformatur,ſi rei familiaris amiſſio, ſi corporis aſſidua vexatio, ſi à chario-

ribus

ribus triſtis auulſio, non ſunt ſeruo Dei ſcandala, ſed prelia, & media ad triumphum, non debilitant, aut frangunt fidem ſed oſtendunt in colluctatione virtutem, delicata iactatio cum periculum non eſt, conflictatio in aduerſis probatio virtutis; Et hæc omnia prouocare nos debent, vt æmula religione, & quaſi incentiuo quodam agitati procedamus ad aciem, quæ nobis indicitur, in qua non eſt nobis colluctatio aduerſus carnem, & ſanguinem, abſunt longè à nobis Deo ſic diſponente miniſtri doli, magiſtri mali, iræ, & crudelitatis artifices, ſceleris inuentores, impietatis auctores, pietatis prædones, hoſtes maligni, inimici crucis Chriſti, & omnia monſtra quibus olim abundabat Vrbs iſta ſancta, & fidelis; totum autem noſtrum certamen eſt aduerſus poteſtates, & principes tenebrarum contra ſpiritus nequitiæ in cæleſtibus, quos facilè fugabimus, & expugnabimus ſi muniti ſcuto fidei, galea ſalutis, lorica iuſtitiæ, gladio ſpiritus irruamus in eos, fortitèr dimicantes pro Chriſto, & fide eius: Veluti Apes ſedulę, quę pro defenſione ſui Regis, & dulciculi mellis intrepidè vſque ad necem, vſque ad mortem præliantur, & licèt puſillæ ſint, & exiguæ, præditæ tamen, inquit milliſluus Ambroſius, quadam ſapientia, & arte inimicos quoſcunque acutioribus aculeis aggrediuntur: ſed vtinam Vrbane ſanctiſſime Vrbis, & Orbis Pater ſapientię, vtinam inquam tempore ſanctitatis veſtrę ſub vexillo trium

Apum,

Apum, fideles omnes quaſi Apum examina, ità pro Rege Regum prçliari poſſint, vt fugatis, & fractis inimicis, tandem in alucario iuſtorum, vnà cum glorioſo Baptiſta fauo mellito gloriȩ in ȩternum perfruantur.

Tortor onus dat; Chriſtus opem, premit ille Ioannem,
Iſte leuat, certat primus, & alter ouat.

LAVS DEO.